

Postea à singulis 22 diuisionibus lineæ superioris ad diuisiones totidem inferioris ducantur rectæ, incipiendo à punctis A C diametro propioribus. Deinceps recta C P producat in punctum usq; S, & CR in T, donec CS sit æqualis AO, & CT æqualis AQ, & per puncta SO, & QT ducantur rectæ, quarum quælibet in duodecim partes æquales diuidatur, & per puncta respondentia ab OS & QT rectis, lineæ ducantur, parallelæ OQ & ST lineis, incipiendo à punctis proximis OQ rectis, & hæc quidem sunt lineæ minorum transversalium, quorum numerus incipiat in auge epicycli A, & desinat in opposito. Descendentes autem sunt horarū lineæ, distantia scilicet σ aut ρ mediæ à uera, harum numerus incipiat in E centro instrumenti, & uergat in utramq; partem, ita nempe, ut finiatur in B & D punctis.

¶ Medias Coniunctiones & oppositiones luminarium inquirere.

PRIMO, quære medium motum Solis & Lunæ ad tempus, quod σ aut ρ proximum esse existimas, & numerum minorem in signis, gradibus & minutis, subtrahe à maiori, remanens erit distantia luminarium. ¶ Secundo, distantiam hanc mitte in tabulam generalem Coniunctionum & oppositionum luminarium mediarum, cum signis distantia, (si signa fuerint in ea luminariū distantia) & quod è directo eorum in diebus, horis, & minutis occurreret, seorsim in Abaco annotato, postea cum singulis denominationibus, cū gradibus uidelicet, minutis & secundis suas tabulas ingredere, & quod in horū directo inueneris prioribus subscribe. ¶ Tertio, singula singulis adde, quamlibet suo generi denominationem, hoc itaq; aggregatū adde tempori tuo proposito, si Solis medius maior fuerit Lunæ motu medio, aut subtrahe, si minor, & habebis tempus mediæ coniuñctiōis aut oppositionis. ¶ Quarto, ad hoc quære medios motus Solis, & argumēti Lunæ medios motus. ¶ Quinto si tēpus hac ratione reperitū continuare uolueris, accipe ex tabula continuationis mediarum σ & ρ tempus unius reuolutionis σ & ρ &c. cum suis motibus, addendo ei σ aut ρ iam inuentæ, & habebis σ aut ρ sequentem cum suis motibus. Quod si ultra numerum dierum mensis propositi, facta additione, numerus dierum excreuerit, deme numerum dierum mensis dati ab eo, & dies remanentes sunt mensis sequentis, à meridie eiusdem diei computando. In anno uero bisextili pro Februario tolle 29 dies &c.

¶ Exempli causa. Pono tempus propinquum σ fore Anno 1520 completo, die 7 Ianuarij, cuius temporis collegi medios motus Solis, & Lunæ, in meridie diei huius, scilicet septimi Ianuarij, ad meridianum Babenbergensem hos:

Medius